



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 4. Quatenus sensile & sensus sint simul, ad tex. com. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

actione non est, quia nil aliud re ipsa est, quam forma ab agente producta & in patiente suscepta) profecto non potest omnino auditus esse actu sine audibili sono actu. Et rursum ut non est actio sine passione; quia non producit forma ab agente, nisi in subiecto aliquo patiente, ex cuius potestate illam educit: ita nec sonatio actu sine auditione, nec sonus actu sine auditu actu facit. Si igitur sit horum alterum, est quoque alterum; alteroque pereunte perit alterum.

in sensu
potestate
et sensu
potestate
sub iis.

In sensu potestate & sensu potestate secus habet. Quod Philoponus noluit ita accipi, ut haec simul esse & non esse negentur. Quoniam, inquit, ea quoque ad aliquid sunt communi que huius generis entium lege tenentur, ut simul natura sint & non sint. Sed interpretatus est non esse necesse ea esse eadem re sola que ratione differre; quemadmodum de iis, quae sunt actu, positum fuit. Verum hoc Aristotelis verbis minimè consentaneum est. Omnino que intelligere oportet de sensu & sensu potestate id negari, quod de sensu & sensu actu fuerat affirmatum. De his affirmauerat proximis verbis, ea simul esse & non esse: de illis igitur negat necesse esse ea simul esse & non esse, seruari simul & perire. Quoniam enim diuersis constant actibus, sensibile naturali qualitate soni, coloris, aut saporis; sensus facultate, quae inest in anima, facile est unum sine altero esse, unoque destructo seruari alterum. Nam qualitates, quae sensibiles potestate dicuntur, in natura per se coherent in corporibus, ut mox dicetur. Neque ideo sensibiles potestate sunt, quod à sensu quidquam accipiant: nec rursum sensibiles actu euadunt à sensu aliquid accipiendo. Sed & sensibiles potestate sunt suapte vi & conditione, sicutque actu propterea solum, quod efficiant sensum; & ita immutent, ut ad actu sentiendum inducant. Denique tota huius loci sententia consentit optimè cum ea, quae est in tex. 37. lib. 2. Phys. & ex ea tanquam generali magis confirmatur. Nam ut ibi vniuersè dixit causam actu operantem & effectum actu simul semper esse; causam autem potestate & effectum potestate non item. Ita hoc loco in specie de sensu & sensu affirmat. Quippe sensibile momentis causae vim habet, sensus autem ab eò mouetur.

Digestio IIII. Quatenus sensibile & sensus simul sint.

revela-
ta simul
sint, vel
non sint.

Quod ab Aristotele dictum est, sensibile & sensum potestate non esse simul; quemadmodum ea sunt, quae actu operantur; propterea non parum interpretibus difficultatem adfert, quod non minus, quam haec, illa relata sint. Verum aperta extat in lib. categoriarum pronuntiata sententia; relatorum proprietatem illam, ea esse simul natura, in plurimis quidem veram esse, at non in omnibus; ut in scibili & scientia, sensibili & sensu: haec enim ab ipso philosopho nominantur. Tum quia scibile & sensibile priora sunt, quam scientia & sensus. Tum quia illis quidem ablati haec quoque auferuntur, at non contra. Tum quia quod ad sensibile & sensum attinet, tunc fit sensus, quando fit animal: sensibile autem antecedit, quoniam antecedunt elementa, ex quibus animal constat, ea que sensibilia corpora sunt. Itaque duo affirmate licet. Alterum est; scibile & sensibile

(perinde enim est de altero ac de utroque loqui) duobus modis considerari posse: Tum re ipsa, quatenus naturae quaedam sunt, & res, quae sciri aut sentiri queunt: Tum formaliter, ut scibile est aut sensibile. Namque priori modo ne caetera quidem relata simul sunt, quibus ea proprietates conuenire maximè existimatur; ut pater & filius, seruus & dominus, causa & causatum, & id genus alia. Posteriori autem, scientia quoque & scibile, sensus & sensibile; siue actu, siue potestate spectentur, simul sunt. Siquidem scibile aut sensibile actu dicuntur, quod illud ab aliquo sciatur actu, hoc sentiat. Potestate verò, quod ab aliquo alterum sciri, alterum sentiri queat. Neque posteriori, sed priori intellectu Aristotelis illa verba interpretabimur.

Verum quoniam hoc non caret difficultate: cum nulla futura sit scientia, nullus sensus potestate, si nullus sit homo, nullum animal: & tamen pleraque alia essent sua natura potestate scibilia & sensibilia. Quippe & ad essent naturae proprietatibus suis affectae, quae de illis aptae essent ostendi: & qualitates sensibiles ad mouendos sensus idoneae in corporibus cohaerent: essetque ex accidenti, si nullus intellectus nullusque sensus foret, qui eas cognosceret: neque accedente intellectu aut sensu quidquam in rebus mutatur illis accedat, quo scibiles euadant aut sensibiles. Alterum potius responderem; Verè proprietatem eam relatorum omnium non esse, sed illis fortasse conuenire, quae in scholis secundum esse appellamus. Cum enim aliam haec naturam non habeant, quam ad aliud referri; nisi ea, ad quae referuntur, simul sint, omnino esse nequeunt. Illi que ablati simul ipsa quoque perimuntur & concidunt. Nam si essent illis priora, siue tempore, siue natura: tota illorum natura non esset ad illa, sed absque illis vim obtinerent suam; neque relatum, sed absolutum quidpiam essent. Aut si ad aliud, quod tunc non subsistat, referantur, realis ea relatio non fuerit, sed rationis: quippe ea, quae realis sit, rem quampiam existentem respicit. At relata, quae secundum dici vocantur, secus habent. Atque ut absoluta entia sunt, quae non aduentitia relatione, sed aut se ipsis suaque natura respiciunt aliud: aut referri ad aliud existimantur, quod aliud referatur ad ipsa, ut in tex. 20. lib. 6. Metaph. de vniuerso tertio relatorum genere legimus. Ita ut in natura subsistant, alio tanquam termino existente non indigent. Sed priora tempore; rursumque eo, ad quod dicuntur, sublato posteriora esse possunt. Huius generis sunt scibile & sensibile, mensura, & mensurabile, potestas & actus, atque adeo materia, quae in tex. 26. lib. 2. Phys. inter relata numeratur, & alia his similia. Quemadmodum igitur actus prior est potestate, & materia prior forma, apta formari & perfici à forma; & si pereat forma, eadem tamen superstes est materia: licetque omnibus (quod Deus potest, ut Philosophi sapientiores decernunt) priuaretur formis, nec earum vlla in rerum natura existeret; eandem tamen haberet materia relationem formaeque materia diceretur. Ita sane scibilis quaeque natura aut sensibilis qualitas, quae absoluta sunt, cohaerere in haec rerum vniuersitate possunt, etsi nondum inuenta scientia sit, aut comparatus sensus; rursumque abolita scientia vel extincto sensu subsistere. Hocque siue actu, siue potestate haec accipiantur: modo de actu primò sit

sermo, naturaque scibilis aut sensilis cum scientia vel sensus habitu comparatur. Enimvero de actu secundo verum omnino est Aristotelis decretum hoc loco promulgatum; sensile actu & sensum actu simul fieri & extingui; immo eundem vtriusque esse actum. Idemque de scibili & scientia intelligendum est.

Verum ad rem nostram reuertamur. Atque hoc loco adnotemus, non sine causa Philosophum tam accuratè ostendisse sensile actu & sensum actu idem esse. Quoniam præterquam quòd ad præsentem disputationem pertinebat, præderat etiam plurimum futuræ deinceps de intellectu contemplationi, cui potissimè tertius hic liber dicitur. Cum enim ex sensu intellectus naturam inuestigemus; ex hoc, quod nunc de sensu docet, ad intellectum sibi viam parat. De quo post eodem modo affirmabit, intellectibile actu & intellectum actu esse idem; intellectumque intelligendo fieri omnia; ac rursus eum, dum intellectibile contemplatur, se ipsum quoque contemplari.

TEXTVS.

Αλλ' οἱ πρῶτοι φυσικοί οὗτο ἔχουσιν ἕλερον, ἂν δὲ διδόναι ἄτα λευκόν, ἢ τα μέλαν εἶναι αὐτοῦ ὄψεως, ἢ δὲ γλυκύν αὐτοῦ γούστου· τῆ δὲ ἕλερον ὄψεως, τῆ δὲ ἔε ὄψεως. διχῶς γὰρ λεγομένης ἡ ἀδύνατος ἢ ἡ ἀδύνατος, τῶν δὲ καὶ διωκόμενῶν ὁ καὶ ἐκέρρειαν, ἐπὶ τούτων δὲ συμβαίνει τὸ λεγέμεν, ἐπὶ δὲ τῶν ἕλερον ὁ συμβαίνει, ἀλλ' οὐκ εἰναι ἀπλῶς ἕλερον ἢ λεγομένην ἢ ἀπλῶς.

Tex. 142.

Verum priores Physicologi hoc non bene dicebant; nihil opinantes neque album, neque nigrum esse, sine aspectu, neque saporem ab seque gustatu. Nam partim quidem rectè inquirebant, partim autem non rectè. Cum enim duobus modis sensus sensileque dicantur, hæc quidem potestate, illa verò actu; in his quidem euenit, quod dictum est; in aliis autem non euenit. At illi simpliciter loquebantur de his, quæ non simpliciter dicuntur.

COMMENTARIVS XXV.

Ocasione ex postremis illis verbis accepta, quibus necessarium non esse dixit, vt sensile & sensus, quæ potestate dicuntur, simul sint; quorundam philosophorum reprehendit errorem; qui cum ante illum de natura loquuti fuissent, sensus planè tradiderant. Sensiliaque omnia dixerant in sentiendo subsistere; nec minùs, quæ nos potestate dicimus, quàm ea, quæ actu consideramus, simul esse & simul non esse, simulque cum sensu poni & auferri. Immo nullum esse potestate sensile, sed actu duntaxat; quòdque potestate dicitur, nullo modo sensile esse. Itaque nullam in rebus veritatem ponebant, nullam sensilitatem; nullum colorem, nullum saporem, nec aliud quidquam eiusmodi, nullamue profus certam naturam; sed omnia in apparentia constare aiebant; remque vnamquamque talem esse, qualis videtur. Nec quidquam esse album aut nigrum, dulce aut amarum; nisi quando aspectu aut gustatu ita iudicatur. Ex quo consequens erat, contrarios de eadem re co-

Nihil esse nisi quod aparet.

lores & sapes affirmari posse; vt vni alba, alteri nigra; vni dulcis, alteri amara videretur. Ideoque contradicentia verè de illa pronuntiantur posse; nec vquam mentiri quemquam. Democritus Simplicius ita sensile memorat. Sed Protagoras fortasse verius Philoponus. Nam de Protagora non solum ita testatur Ammonius quoque in librum categoriarum, vbi de relatis agit: Verum etiam in Theæreto & Protagora Plato; atque ex Aristotele colligi potest in 4. lib. metaph. tex. 19. & deinceps & lib. 10. tex. 5. & lib. 11. cap. 6. Tamen Democritum quoque ita iudicasse, cognoscitur ex tex. 2. lib. 1. huius operis. Quo loco credi potest permutatum fuisse Simplicium.

Cur ita illi errauerint, causa fuit, quòd actum primum & secundum non distinxerunt, vt in sensilia & in sensili. Idcirco nihil interesse putarunt inter sensum & sensile actu, sensumque & sensile potestate. De iis enim quæ actu sunt, verè dicitur, ea simul esse & non esse; sensileque eiusmodi non esse, nullum sentitur: quia idem est sensilis & sensus actus. At de sensili & sensu potestate nequaquam dicitur: quoniam diuersis constant actibus; neque sensile potestate est per actum sensus, sed per sibi proprium actum, quo eiusmodi qualitas mouere sensum & ab ea sentiri apta est. Quare si sensus auferatur, sentiréue desinat; perit sensile actu, at non item sensile potestate. Quia perit quidem actus ille secundus, quo afficiebat & mouebat sensum, sed in corporibus superstes est actus primus qualitatis, qui afficere & mouere potest, si rursus accedat sensus. Evt obiectum quoduis facultate, cuius obiectum existit, prius est: ita sensile, si sensum mouere debet, prius sensu esse oportet.

Neque videtur credibile Philosophos illos de rerum natura tam corruptè sensisse, tamque inopè pronuntiasse. Quin potius de sensilibus rebus ita fuisse loquutos, quòd eas continenter ac momentis omnibus mutari minimèque constantem naturam habere cernentes, fieri potius, quàm esse, illis dici oportere iudicarent: eaque solueret ac proprie esse, quæ firmam & stabilem naturam haberent. Itaque sensilia dixerunt non esse, nisi dum sentiantur: quòd mutentur illicò, aliaque statim euadant vt quod vni nunc est album, alteri mox sit nigrum; quòd nunc dulce, paulò post amarum. Exemplo fluuij, in quo bis eandem aquam non licet accipere, sed aliam subinde & aliam. Quòd si quid sit in rebus verum, quòdque verè dici possit esse id ignotum nobis esse inquebant. Quoniam intellectilia & spiritalia entia ab omni mutatione & inconstantia libera nondum illi cognouerant, solaque sensilia admittebant.

Aristoteles verò de illorum sententia ita pronuntiat. Quadam ex parte sapienter illos philosophatos fuisse, quadam autem non item. Nam sensilis & sensile duobus modis considerantur, actu & potestate. Si actu considerentur, verè ab illis dictum est: falsum autem, si potestate. In eo tamen excelsari nequeunt, quòd hæc duo non distinxerunt; sed perinde ac si vno tantum modo dicerentur, de sensili & sensili absolutè pronuntiarunt.

TEXTVS.

animali & non animi potius de homine enuntietur. Et si enim addatur (quoddam) magis tamen naturalis est & scientiis accommodata propositio (homo est animal) quam hæc (animal quoddam est homo) præsertim cum tantumdem ex illa conficiatur. Adde propositionem illam ut falsam potuisse negari. Cum enim illi vocem quandam interpretentur vocem actum; negari poterat, & verò neganda erat ea propositio absolute pronuntiata (vox actus est concentus). Si quidem plurimæ voces actus immoderate sunt & excedentes. Et acutum & graue, quæ scilicet voces actus sunt, auditum dicuntur corrumpere.

Minus etiam bene propositionem alteram accipit Simplicius. Cum non dicat Aristoteles, auditum actum esse vocem actum, sed vocem & auditum esse vnum auditum, tum vocem accipiens ut subiectum, & vnum tanquam attributum. Aut igitur duplicem oportet argumentationem distinguere, aut si vna magis delectet, ex duplici eam hypothesis deduces; altera, Concentum esse vocem quandam: altera, Vocem & auditum actum eundem re actum esse. Ex quibus mox propositio colliges; Concentus & auditus actus sunt vnum & idem: at concentus est ratio; igitur auditus item actus est ratio. Cuius sane ratiocinationis argumentum est concentus. Quo velut medio termino auditum esse rationem concluditur.

*Sensus
aut pro-
porio.*

Porrò concentum ait Philoponus appellari rationem, ut eum ostendat temperatam non esse & permissionem auditus cum voce; sed proportionem constare non quidem sui ad se, sed ad auditum. Eodemque modo auditum esse rationem, non sui ad se, sed ad sonum & vocem. Sicut enim onus dicimus habere proportionem ad humerum & virtutem, quæ feratur; sic inter obiectum sensibile & sensum proportio cernitur. Non enim sensibile actus & sensus permiscetur, sed re sunt idem & vnus actus. Et Simplicius quoque rationem interpretatus est medium inter extrema, ut nec excedat nec deficiat, sed mediocriter se ad sensum habeat.

*Simplicius
autem
concentus
vnum.*

Itaque licet *συμπληρωμα* & concentus in plurium vocum, acuta & grauis, modulatione proportionemque mutua versari videatur, ut vox Græca ostendit, quæ plures simul voces; & item Latina, quæ plures simul concinentes significat: non hanc tamen intelligere nunc oportet; sed ea potius, quæ sine plures sint voces, siue vnica, consonat & conciniunt, non alteri voci, sed auditui. Hoc ita esse, multa testantur. Primum, quod ratione hæc & proportionem vitia corrupti sensum tradit Philosophus: corrumpitur autem non solum à pluribus simul, sed vel ab vnico excedente aut deficiente. Deinde quod exuperans vnum quodque siue graue sit, siue acutum, hoc est vehementior vnusquisque sonus, qui proportionem ad auditum non habeat, lædere dicitur. Tum verò quod in omnibus aliis sensibus euenire idem affirmatur: si obiectum sit nimis splendidum aut tenebrosum; si vehementior odor, saporque immodicè dulcis aut amarus; & omnino ab extremis lædi sensum. Nam si à dulci non corrumpatur, læditur certe ac dissoluitur; ut & à pingui.

Verum alteram quoque proportionem, quæ in obiectis ipsis consideratur, acuti & grauis extremorumque calidum, odorum, saporum, & qualitatum tactilium permissionem; Indicauit nobis Philosophus; cum ea dixit (etsi contra prorsus interpretatus sit Aueroës) absque læsione, immò cum delectatione sentiri, quæ sincera non sunt & impermixta: ut ac-

tum in sono, dulce & saluum in sapore. Saluum autem posuit pro amaro, quod opponitur dulci. Sed ad rationem, hoc est temperationem & mediocritatem ducta. vniuersèque quod vitium est & refrigeratum; ut in quo excessus omnis fractus est, magis concentum esse. Magis inquam acuti & grauis modulationem, quam acutum aut graue, sincerum & purum. Et colores medijs magis, quam extremis eodem modo in sensibus ceteris. Quia cum in se temperata fuerint, temperate magis in sensum agentia; illi quoque concinent & proportionata erunt. Hinc artes illæ habuerunt ortum, quæ temperantes extrema sensus afficerent voluptate, aut peccatum pictura, auditum musica, odoratum vnguentaria, gustatum coquinaria, tactum lauanda & texendi artes. Tactui enim inquit iucundum est, quod cualefieri potest aut refrigerari. Hoc est, non quod extremum est; quod vitium esset significare, si calidum & frigidum absolute nominasset. Sed quod ita permixtum est, temperatum & fractum, ut augeri facile queat & intendi.

Hæc igitur obiectorum mediocritate in se ipsis & proportionem sensu proportione dissoluta, siue excedendo, siue deficiente, id eueniat, læditur ac dissoluitur sensus. Sicut inquit Aueroës, corrupta in corporibus nostris qualitatum proportione corrumpitur sanitas, quæ illorum temperatione ac mediocritate conseruabatur. Quæ item in numericis cernitur proportio, addita aut detracta, vel vnica vnitate, tollitur, nisi vtrique numero additio fiat aut detractio. Et ipsemet Aristoteles in tex. 11. eum, qui in musicis est concentus, dissolui prohibet, siquæ fidium vehementius pulsatur aut vox quæpiam plus æquo attollatur; & vniuersis omnibus proportio soluitur, tum redundantia, tum defectu; tum ab eo, quod exuperet; tum ab eo, quod deficiat: similique & proportionato delectatur plurimum & conseruatur. Quare ut extrema, quæ aut molesta sunt aut etiam corrumpunt, temperari possunt & ad mediocritatem duci, ut deinceps delectentur: Sic ea, quæ temperata sunt & mediocria, excessu aut defectu dissoluentur & peribunt. Ita sane in sensibus à sensibilibus obiectis euenit. Cum illi proportionem quadam concinent, tum obiecti sui comparatione; si quidem tantam virtutem habent, quæ tantum & non vehementiorem motum sustinere valeat: tum in se ipsis, eodem organo vntantur tali qualitatum temperatione lacto. Dixi hæc de re in commentario quoque certus 118. & 123. superioris libri, quæ non parum ad huius loci explanationem conferent. Tria nunc adnotabo. Primum; quod eo loco de sensorij proportionem eiusque à vehementi obiecto corruptionem dictum est, idem nunc plane de ipsomet affirmari sensu; eandemque ob causam: propter vehementiorem scilicet obiecti motum, quo tum organum immoderate afficit, quatenus naturalis & realis qualitas; & sensum item quatenus sensibile est. Alterum; in priore loco solam eam corruptionem commemorasse Philosophum, quæ fit à vehementi & exuperanti obiecto; & hic rursum vix nominare tenebrosum, eorumque in redundantia insistere. Quoniam etsi defectu quoque ratio ac proportio dissoluitur; non minima tamen & maxime sensibilibus ea est, quæ per se redundantiæ euenit. Et verò etiam sentitur quoque illud & corrumpit. Nam qui solem aut nitem aliunde

aliudē nimis fulgidum vel album aspicit, læsionem statim sentit; quia patitur & immutatur ab obiecto. Quod vero per defectum corrumpitur, non nisi post multum tempus corrumpitur: quoniam non actione, sed cessatione & quiete nimia enervatur, flaccescit, & perit. Vt qui diu in tenebricofo carcere aut spelunca fuerint, excœcantur, aut certè prodeunt in lucem intueri illam non possunt. Spiritus enim qui ad operandum confluit solet ad oculum, ubi oculus ab operatione cessat, auertitur, atque à tenebris repellitur. Quare sicatur, refrigeratur & contrahitur opticus nervus, totusque oculus, & ineptus ad operandum euadit. Tertium ac postremum; In omnibus quidem sensibus ita, vt dictum est, euenire; atque vniuersè de omnibus à Philosopho fuisse traditum: eum tamen ab auditu ad alios sensus fessile gradum, tum quòd in superioribus idem fecerat: Tum quòd propositiones ambæ, quæ ab eo ad ratiocinandum accipiebantur, in hoc potissimum sensu, non item in cæteris, manifestæ erant. Nam & contentus, hoc est *αὐτοψία*, qui medius argumentationis terminus statuebatur, & à voce dicitur, & in voce conspicuè apparet. Et eundem re diuersumque ratione sensilis & sensus actum esse in auditu magis cognoscitur, in quo sonatio & auditio nominantur; quàm in cæteris, in quibus obiecti operatio appellari satis non potest.

Digestio V. Nullum sensum sensationem suam sentire.

DVm propositis vtriusque argumentis, num eodem, an alio aliquo sensu sentire se animalia sentiant, disputauit Philosophus, dissensionem summam inter interpretes excitauit. Primum enim in tex. 136. eodem sensu sentire probauit. Deinde in tex. 137. eodem sentire non posse: tum in tex. 138. posteriorem hanc argumentationem ita diluere aggressus est, vt nunquam apertè dixerit, num eodem an alio sensu sentiant. Sed solum respondit, sensu sentire non esse vnum, sed pluribus modis dici, ipsumque sentiens quodam modo sensibile esse; ac demum sensilis obiecti & sensus eundem re actum esse, dum actu operantur. Ex quibus manifestum est, nihil apertè & certè colligi posse.

Themistius & Simplicius ex eo, quod in tex. 138. aspectu dicimur sentire tenebras, hoc est nos non sentire, eodem quoque sensu colligunt nos sentire nos sentire. Tamen hoc Simplicius humano solum sensui tribuit, qui propter rationalis animæ coniunctionem rationalis quoquo modo factus potest in se ipsum se se conuertere.

Philoponus autem dubitationem propositam aduersus eam quæstionis partem, quæ alio id sensu sentiri probauerat, dilui mox audiens; eam planè existimauit de animalibus omnibus Philosopho fuisse sententiam. Subscribunt S. Thomas, Ægidius & alij nonnulli. Sed quibusdam placet alia quædam actione id fieri, quæ post obiecti comprehensionem illud se comprehendisse sensus agnoscat. Alij eadem prorsus, quæ directè obiectum, indirectè sensationem percipiat.

Sensum sensationem Verùm ad concludendum, ab eodem sensu sensationem eius nullo modo sentiri; efficax argumen-

Atum est illud, quòd visio colorata non fit, nec auditio sonora, aut odorifera odoratio, gustatio ^{suam non sentire.} sapida, aut tactio tactilis. Etenim sensus vnusquique per obiectum suum constituitur, totaque illius operatio ab eaita definitur, vt nullo modo limites eius egredi queat; nec cognoscere quidquam, quòd obiecti naturam non participet. Habes hoc argumentum pluribus explicatum in commentario ad tex. 137. Nunc alterum addo, quòd necessarium prorsus esse arbitror. Omnis sensio eiusmodi est operatio, quæ in externam materiam non transit, sed in eo ipso suscipitur, à quo proficiscitur. Ab illo igitur ipso sensu, à quo producit & suscipitur, sentiri ea non potest, quin in se ipsum is conuertatur. At is nullo modo conuertitur & contrahi potest. Nam vt sentiens anima materialis tota est & corporea, vt quæ ex materia gremio corporisque potestate eruta est; sic sensus omnis materialis item est, & corporeus. Neque materia, neque corpus vllum, neque omnino quidquam, quòd materiale sit & corporum suæque natura cum quantitate coniunctum, conuertere se se ac contrahere in se ipsum potest. Quoniam hoc non patitur quantitatis natura, quæ extensionem & partes extra partes significat. Spirituum duntaxat & à materia separatarum mentium ea conditio est. Vereque deduxit Philoponus, si sensus conuertere se se ad suam operationem cognoscendam, incorporeum cum futurum, separabilem, ac sempiternum. Itaque quantumcumque conetur oculus aut aspectus, se ipsum nequit aspicere; nec auris aut auditus audire; nec sensus reliqui se ipsos sentire. Quia cum alligati sint organo quanto & extenso, nec sine illo quidquam operari possint; quemadmodum organum in se ipsum non conuertitur, ita nec ipsi se ipsos nec sensationem suam, quæ in ipsis aut etiam in eorum organo suscipitur, sentire vilo modo queunt: sed sentiri eam à superiore facultate oportet. Hoc argumento vsum in Charmide Platonem video; vt nullum sensum sui ipsius esse probaret: quoniam magnitudinem & multitudinem vim suam habere ad se ipsa penitus impossibile est, solamque scientiam quandam posse esse, quæ sui & aliorum scientia sit. Quæ præterea potest, num sensus sentire se sentiat, dum obiectum suum sentit, an post illius sensationem. Dum obiectum sentit, sensationem suam sentire non valet; quia duas simul operationes eam habere oporteret: quod ne mens quidem comprehendit. Eadem autem actione obiectum & illius sensationem qui eum sentire dixerit, minimè audiendus erit. Tum quia ne intellectui quidè hoc conceditur: atque in nobis ipsis experimur intellectiones plures fieri. Tum quia natura tota & vis illius actionis ea est, vt obiecti comprehensio sit. Et si eadem actio, tum obiecti, tum ipsius sensationis cognitionem præstaret; nunquàm sentiremus obiectum, quin sentire nos simul cognosceremus. At si per se, vt hoc non cognoscimus. Et si id quoque assequi volumus, attentione noua conatuque animæ atque actione opus est. Sane alia est entitas formalisque ratio sensationis, alia obiecti. Et obiectum quidem directè, sensio autem non nisi cognitione reflexa cognosci videtur: atque directum actum & reflexum non esse vnum & eundem nemo ignorat. Ita ostenditur nullum sensum sensationem suam cognoscere;